

XXI. Praeter argumentum exhibet etiam nomen Auctoris, quem Ioannem nominat. Ioannes is nullus est alius, quam Christi discipulus, cui et Euangelium, et tres Epistolas debemus. Fuere quidem, non nego, iam inter uetustiores, de uero ἀποκαλύψεως auctore, nonnullae controuersiae, quibus etiam Lutherus quondam, ὁ μακαρίτης, commotus est, ut de libri Θεοπνευστία aliquantulum dubitaret. Quod uero nec ipsi, nec Lutheranis debet esse fraudi, ut αἰρετικοῖς annumerentur, ceu nuper quidam in Anglia, ζηλώσαντες οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, fecerunt. Non enim ideo Lutherus, quod in more solent habere positum ἀνθρώποι αἰρετικοί, de libri γνησιότητι detraxit, quasi sibi, suaeque doctrinae, ab eodem metueret, sed quia tum temporis κριτικὴ ad illam nondum peruenerat ἀκμὴν, ad quam hodie ascendit. Unde nobis, qui multis praeteruecti sumus difficultatibus, multa, in hoc quidem studiorum genere, licet uidere, quae maiores nostros fugiebant. Plura ad hanc pertinentia controuersiam, post multos alios legi possunt, in uastae lectionis, doctrinaeque Prolegomenis, quae Io. Millius N. T. praemisit, ubi speciatim Dionysii Alexandrini arguendi rationes sub censuram et examen uocat.

XXII. Auctorem, puta Ioannem, Inscriptio porro, commendationis gratia, nominat Θεολόγον. De causis huius appellationis non conuenit inter omnes. Richardus Simonius H. C. N. T. c. XIX. p. 226. arbitratur, auctores inscriptionis uoluisse saltem hoc nomine significare Ioannem Euangelistam, quem Patres Graeci Theologum appellarint κατ' ἐξοχήν, ut ita eundem ab aliis distinguerent Euangelistis. For- san ab hac sententia non alienus fuit ex nostratibus Herwartus, qui in Introd. ad lect. Bibl. p. 90. Ioannem Theologi appellatum esse nomine, scribit, ad differentiam Ioannis Baptistae. Communior sententia ideo Ioanni id nominis datum esse existimat, siquidem reliquis Euangelistis copiosius, luculentiusque, de diuinitate Liberatoris testa-

tus